

nes atrocissimas in personam, obsessus etiam ab eisdem in eadem domo pluribus diebus ac noctibus in tantumque artatus, ut tandem ipsum timore mortis oportuerit latenter de Cypri insula fugere et diutius exulare, quam plurimi ordinum vestrorum fratres tunc^{a)} Nichosie degentes, in quibus sperare debebat tanquam eorum devotus et magnificus^{b)} sustentator, dictis persecutoribus publice adherentes ipsisque preter solitum stricta familiaritate iunxerunt eorumque convocationibus et consiliis contra ipsum archiepiscopum habitis frequenter intererant, in quibus archiepiscopus ipse diffamabatur turpiter coram multitudine laicorum, litteras autem papales legi faciebant seu legebant, quibus ad se eiusdem archiepiscopi subditos attrahebant et ab ipsius obedientia et reverentia avertebant asserentes ligandi et solvendi potestatem ac spiritualia ministrare ad se, non ad dictum archiepiscopum pertinere, ligabant preterea parrochianos eiusdem archiepiscopi et solvebant, inungebant infirmos et alia eisdem ministrabant ecclesiastica sacramenta missasque cantabant in cameris eorundem parrochiamque suam sibi diviserunt, ut in dividendis spoliis participes fierent universi et partes obtinerent plurimi sic divise tunice dominice, quam Romani milites Christi crucifixoies dividere noluerunt¹⁾. Cum ergo hec, si vera sunt, incentiva sint gravium scandalorum et fomenta dissensionum ac scismatum subministrent, vobis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, eidem archiepiscopo et ecclesie sue de predictis gravaminibus et iniuriis satisfactionem plenariam fieri faciatis providentes nichilominus per aliquem modum honestum, ne contra dictum archiepiscopum vel eius ecclesiam per vos vel aliquem de vestris fratribus de cetero talia vel similia presumantur. Ab aliis vero supra narratis utpote religioni contrariis vos omnes precipimus abstinere.

XI.

(Der päpstliche Notar) Johannes von Capua bittet den (in Subiaco weilenden Vizekanzler) Magister Jordanus (von Terracina), ihm vom Papst (Alexander IV.) die Erlaubnis zu verschaffen, in Angelegenheiten seines (des Deutschen) Ordens nach Rom zu reisen und dort bis zum 1. November (1260) zu bleiben.

(Anagni, August—September 1260)²⁾.

a) nunc Hs. b) übergeschrieben vel nimis (?) Hs.

¹⁾ Vgl. Ioan. 19, 23—24.

²⁾ Zur Datierung oben S. 185 Anm. 63.